

INCIPIIT REGULA S. BENEDICTI:

Cap. I.

DE QUATUOR GENERIBUS VEL VITA MONACHORUM.
Monachorum quatuor esse genera, manifestum est. Primum est coenobitarum, hoc est monasteriale militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est anachoretarum, i. c. eremitarum, horum, qui non conversionis fervore novitio sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare. Apte enim et congrue fuit, ut descripturus vitam et normam monachorum prius diceret de generibus vel ordinibus eorum, quatenus per genus cognosceretur auctor uniuscujusque vitae, quia eo verius et securius unaquaeque ars vel disciplina tenetur, quo auctor ejus ad probabilem fidem venisse comprobatur, veluti quis cum aliquod aedificium aedificare voluerit, primitus fundamentum ponit. Ita B. Benedictus in hoc loco facere cognoscitur, cum prius de generibus monachorum dixit. Coenobitae enim intelliguntur communiter viventes coenobitae enim sumpserunt initium a primitiva ecclesia Jerosolymis constituta. Narrat enim historia actuum apostolorum, quia uno die credebant tria millia et alio die quinque millia, et quotquot erant possessores agrorum, vendebant praedia sua et pretia eorum ponebant ante pedes apostolorum, et apostoli tribuebant unicuique, ut opus erat. Et sic vivebat tunc omnis illa ecclesia, sicut perpauci nunc inveniuntur vivere in monasteriis. Sed post excessum, i. e. obitum apostolorum coepit illa ecclesia tepescere, et non solum praelati, verum etiam subjecti, eo quod apostoli concesserant gentibus, retinendo substantiam suam ad fidem venire. Nam quod apostoli concesserant gentibus pro infirmitate, illa ecclesia putabat etiam sibi licitum esse. Et unde hoc probatur, quia apostoli concesserant gentibus, habere substantiam suam et sic venire ad fidem? Legitur in Actibus apostolorum: Cum praedicarent apostoli Antiochiae, surrexerunt falsi apostoli adversum veraces apostolos dicentes: *Quare non circumciduntur gentes, cum ad fidem*